Σεύθης ΡΩΜΑΙΟΙ

περὶ τὰ 300 μ.Χ.

Trebellii Pollionis: Gallieni Duo Κεφ. V–VI

Saeviente fortuna, cum hinc terraemotus, inde hiatus soli, ex diversis partibus pestilentia orbem Romanum vastaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obsessis, cum bellum Odenatus inferret, cum Aureolus perurgeret Illyricum, cum Aemilianus Aegyptum occupasset: Gothi et Clodius occupatis Thraciis, Macedoniam vastarunt. ---

Ac ne quid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum civitas, clara navalibus bellis, claustrum Ponticum, per ejusdem Gallieni milites ita omnis vastata est, ut prorsus nemo superesset, denique nulla vetus familia apud Byzantios invenitur, nisi si quis peregrinatione vel militia occupatus, evasit, qui antiquitatem generis nobilitatemque repraesentet.

Κεφ. XIII

Inter haec Scythae, per Euxinum navigantes, Istrum ingressi, multa gravia in solo Romano fecerunt.

Quibus compertis, Gallienus Cleodamum et Athenaeum Byzantios, instaurandis urbibus muniendisque praefecit: pugnatumque est circa Pontum, et a Byzantiis ducibus victi sunt barbari.

Veneriano item duce, navali bello Gothi superati sunt: tum ipse Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum et Asiam, deinceps Achajam omnem vastaverunt

Τοῦ αὐτοῦ: Triginta Tyranni	Κεφ. XVIII

Galatia frumento abundat, referta est Thracia, plenum est Illyricum: illic pedites collocentur. quamquam in Thracia etiam equites, sine noxa provincialium, hiemare possint

Τοῦ Αὐτοῦ: Divus Claudius Κεφ. IX

6 (Claudius et securitate rempublicam, et opulentiae nimietate donavit.

(ἀκολουθεῖ)

Βυζάντιον   Ρωμαῖοι   Μαρκιανούπολις   Αἱμιμόντα

b(Pugnatum praeterea est apud Byzantios, ipsis, qui superfuerant, Byzantiis fortiter facientibus. - - .

a(Et utinam Gallienum non esset passa respublica: utinam sexcentos tyrannos non pertulisset.! Salvis militibus, quos varia proelia sustulerunt, salvis legionibus, quas Gallienus male victor occidit, quantum esset additum reipublicae? Siquidem nunc verba naufragii publici colligit nostra diligentia, at Romanae reipublicae decus.

Pugnatum est enim apud Moesos, et multa proelia fuerunt apud Marcianopolin; multi naufragio perierunt; plerique capti reges; captae diversarum gentium nobiles feminae; impletae barbaris servis, senibusque cultoribus Romanae provinciae.

Ar. n. XI

Nam cum se (Divo Claudio?) in Haemimontum multitudo barbarum gentium, quae superfuerant, contulisset, illic ita fame ac pestilentia laborarunt, ut jam Claudius dedi graretur et vincere.